

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL
Decretum Secretarii

Prot. n. 49014/14 CA
Reductionis ecclesiae in usum profanum
(Adv. N. et alii - Congregatio pro Clericis)

DECRETUM

Ad instantiam competentis organi administrationis paroeciae, Exc.mus Episcopus X. decreto diei 24 maii 2012 ecclesiam in pago Y, seu ecclesiam filialem praefatae paroeciae, in usum profanum non sordidum reduxit. Quo decreto publici iuris facto, Cl.mus N., de asserto mandato 77 paroecianorum, die 15 iunii 2012 frustra revocationem exposulavit.

Rebus sic stantibus, idem Cl.mus N. die 20 iulii 2012 recursum hierarchicum interposuit coram Congregatione pro Clericis, quae decreto diei 21 decembris 2013 recursum ob defectum mandatorum Recurrentium reiecit, quam reiectionem ipsa, receptis mandatis 163 paroecianorum et expositis novis argumentis, die 24 ianuarii 2014 confirmavit.

Die tandem 10 februarii 2014 Cl.mus N. ad H.S.T. provocavit.
Petitis ac receptis actis pro examine praeliminari,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod recursus ad normam art. 73, § 1, n. 6 H.S.T. *Legis propriae* subscriptione Recurrentium muniendus est, qua deficiente saltem ex mandato authentico constare debet de legitima interpositione;

Considerato quod:

- Cl.mus N. nec recursui diei 10 februarii 2014 ad H.S.T. nec argumentis ad recursum sustinendum die 24 martii 2014 exhibitis ullum mandatum adnexit;
- Ex versione originali exemplaris mandatorum die 3 ianuarii 2014 ad Congregationem pro Clericis missorum evincitur ea solummodo facultatem coram Congregatione agendi concedere;

Cum ergo constet Cl.mum N. ob defectum mandati legitimatione activa apud H.S.T. carere;

Subordinate animadverso quod:

- Congregatio pro Clericis decreto diei 21 decembris 2013 declaravit in casu recursum proponi non posse ob defectum mandatorum;
- Cl.mus D.nus N. recursui hierarchico diei 20 iulii 2012 nullum mandatum adnexit et exquisitioni mandatorum ex parte Congregationis dierum 18 iunii et 15 octobris 2013 tantum post reiectionem recursus respondit;
- Ad normam can. 1484, § 2 iudex procuratorem, mandato nondum exhibito, ad iuris tamen extinctionem impediendam admittere *potest*, quin debeat (cf. Decretum coram Em.mo Praefecto, d. 26 iun. 2013, prot. n. 47082/13 CA);
- Defectus mandatorum ad recursum hierarchicum interponendum, minime sanatur 163 mandatis, anno cum dimidio post recursus interpositionem mense ianuario 2014 exhibitis, quia terminus, de quo in can. 1737, § 2, tunc iam diu elapsus erat;

Pro certo habito quod, rebus sic stantibus, Congregatio pro Clericis nullam legem violavit recursum reiciendo;

Praetermissis aliis quoque ad rem forte animadvertendis;
Audito Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;
Vi art. 76, § 1 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob defectum praesuppositi, sin minus ob evidentem defectum cuiusvis fundamenti.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra peremptorium terminum decem dierum ab eodem recepto (cf. art. 76, § 3 *Legis propriae* H.S.T.).
Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.
Datum Romae, e Sede huius Supremi Tribunalis, die 2 augusti 2014.

✠ FRANCISCUS DANEELS, O.Praem.
Archiepiscopus tit. Bitensis
Secretarius

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YAÑEZ, M.G.
Moderator Cancellariae

* * * * *